

124  
124

CLAVA  
HERCULIS,  
POTENTISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO**  
**WILHELMO,**  
S.R. I. ELECTORI, MARCHIONI BRAN  
DEBURGICO, DUCI MAGDEBURGENSI,  
&c. &c. &c.  
DOMINO CLEMENTISSIMO,

In perennem memoriam & honorem

Die felicissimi in URBEM

HALAM ingressus,

*qua fuit 2. Jun. Anno 1681.*

humillima cum subjectione exhibita

ab infra scripto

Exule Hungarico.

---

Typis Johannis Jacobi Bauhoferi, Calcographi Jenensis.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
PRINCIPI,  
FRIDERICO VVILHELMO,  
VITAM ET VICTORIAM.

**I**lluxit tandem, favente DEO, & quod sanctissimo omnium Piorum applausu commemorandum, felicissimè illuxit 2. Junii, quâ Serenissimus & Potentissimus ELECTOR FRIDERICUS WILHELMUS, ob res maximas admiranda profusque divina Victoriâ gestas, cognominatus MAGNUS, Magnam eamque celeberrimam Urbem HALAM ingressus est. Et singulari quidem Dei Immortalis munere ac Providentia, felicitate hac obtingente, dies quæ subsequebatur 4. Jun. a. 1681. Publicè solenniterque reddendis laudibus & persolvendo Gloriosissimo DUCI Homagio decreta est, ita ut quâ die anno præterito 1680. Hala fudit lacrymas, AUGUSTO Beatissimo Principe, per mortem beatam, è humanis erepto, & redonato Cœlis, Eadem Die anni cursu evoluto, GLORIOSISSIMUM PRINCIPEM FRIDERICUM WILHELMUM, Hala exceperit Homagio, nube tristitiae in lætitiam & applausum permutata. Etsi verò infirmitatis ingenii mei omnium maximus mihi ipse testis sim, & verbis ad Principem Excelsum faciundis, magnus debeatur animus; existimavi nihilominus magis expedire, inter millenos applausus, interque tot suspiria fundentium cohortes, vel inconditam edere vocem, quâm al-

to



to silentio sepelire diem, cuius felicitas, citra Impietatis  
crimen á nemine Cordatorum, & ne quidem ab Exule in  
Deum locante fiduciam, sileri potest aut debet. Dabis spe-  
ro, piæ meæ curiositati veniam Elector Serenissime, si in  
tam impotenti mea solicitudine tibi inserviendi incondi-  
tum aliquid prodo, & parùm decorum admitto. Neque  
verò Cœlum benignum moles illa Syderea, post tot lumi-  
naria Stellarum, etiam Lucernarum tenuem lucem rejicit:  
ita quod tenuis cliens offert, non solent Magnanimi Glo-  
riosissimi Principes, qualis tu cumprimis es, fastidire.

Salve Elector Serenissime, qui & Majorum Tuorum lau-  
des supergrederis, & Tuas Ipsius, ob incredibile animi ro-  
bur excedis: Ut sicut quondam ALBERTUS ille pullus  
Martius ROLANDUS alter, ita Tu quoque ob invictam  
armorum vim, alter HECTOR, quo superstite & quām  
diu viveret, Troja invicta stetit, & quidem Teutonicus  
Hector nuncuparis, ipsoque facto HERCULEM Te ex-  
hibes, ut meritò Dextra Imperii, adeoque Pater Custosque  
Salutis Publicæ audias. Audies verò etiam à me, & Salu-  
taberis alter AUGUSTUS, Totus equidem Orbis depræ-  
dicat, Te PRINCIPEM cſſe tantæ munificantiæ, ut au-  
sim locata cumprimis in Deum Fiducia, certò & firmiter  
sperare, Te Beatissimum meum AUGUSTUM, nulla un-  
quām ætate mihi silendum, & nunquam sine summis lau-  
dibus mihi commemorandum PRINCIPEM, Nutritium  
meum, donec in Humanis ageret, benignissimum, imita-  
turum esse in Liberalitate, & in benefaciendo mihi Exuli  
Seni Halis Saxonum Hospiti, exhibitrum Te æquè cle-  
mentem pariterque munificum, neque defuturum mihi  
Patrocinio, adusque Halis, quoad Deo visum fuerit, ad  
tempus, sim perstiturus, futurumque, ut existimem  
mei AUGUSTI Beati animam, ad vivos esse revocatam,  
certòque credam, ad Tuæ Celsitud. feliciter suscepitam in  
Ducatu Magdeburgensi Gubernationem, me quasi post



exactam Tristitiae noctem , ad lætitiae Iubar , ex oriente novo Halis Sole , erectum & evectum esse.

Nec im merito Solem Te etiam nuncupo , Princeps Potentissime . Solus equidem Sol in orbe dominatur , Tu in Orbe Tuo Solus dominaris Princeps : Omnibus idem Sol terrigenis , Tu subditis idem Bonus Princeps : Sine labe micat Sol in Cœlo , Tu sine macula Bonus Princeps in terris ubique luces : Orbem illuminat Sol radiis , Tu Virtutibus Princeps Orbem illu stras : Omnes fovet Sol calore , Tu favore foves omnes , auxilium Tuum implorantes : Sol dispellit noctis tenebras , Tu adversitatum dispellis nubes : Nubila dispellit Sol tempestatis , Tu invidiæ nebulas disjicis , & invidorum es viator : Sol nulli lucem nisi cœcis subtrahit , ita Tu nulli favorem denegas nisi abutenti : Sol quantumvis sublimis non aversatur humilia , ita Tu Princeps Potentissimus , quamvis excelsus , imos , etiam Exules humiles , non despicias : Sol aufert denique Orbis tenebras , Tu URBI Hallensi lucem infers , desideratissimo Tuo adventu & præsentia .

Ingredere ergo in Tua , & accelera Serenissime Elector , ingredere Tuam Halam feliciter ! Pius impera ! Iustus impera ! Felix impera ! Et dum hoc præstabis , omnes pios , omnes justos , omnes felices habebis & efficies .

O Beatum Principem Exercitu forti & fidelibus subditis armatum ! O Urbem Beatam ! Stipatam Principe tanto .

Unum restat , Serenissime Elector , precari ac petere , ut quicquid suscipies , & ages , id prosperet Deus ac provehat , neque enim suscipere aliud aut agere voles , quam quod securitatem Imperio , Salutem nobis , & felicitatem omnibus pariat & tribuat .

Io Io ingredere feliciter !



*Symbol.*

VENIT OMINE FAUSTO!

*Mit B. W. F.*



I.

Iopoema.

PRINCIPIS HALA videt vultum MAGNI FRI-  
DERICI,

Ut regat hanc præsens Ense, VILELMUS adeſt.  
Qui fortes multos prostravit Cæde Gigantes:  
O ſimul & Bello, forte togâque Caput!  
Es Dextra Imperii, Tu MUNDI MAGNE MONAR-  
CHA,

Posteritas, quis ſis, ſera tacere nequit.  
Vota canunt Proceres Patriæ Te tota salutat,  
MAGDEBURGENSIS Machina vaſta foli.  
Eſto, quod es: nobis ſis Dux FRIDERICE benignus,  
Auxilio PRINCEPS: Dexteritate PATER.

A 3

*Symbol.*  
**NON MOVEBITUR.**  
**Unverzagt.**



2.

**Poema.**

**BRENNO. MARCHICUS.**

CÆSARIBUS. FIDUS. NON. DIFFERT. BELLA. TIMENDO.  
CESSANDO. MAJORA. PARAT. GERMANUS. ACHILLES.  
ENSE. POTENS. PRINCEPS. NULLO. TERRETUR. AB. HOSTE.  
BELLANDO. TERRET. NULLI. HAC. ÆTATE SECUNDUS.

*Symbol.*  
SESE TERRORE TUETUR.  
**Mit Sinnen und Gräfften.**



3.  
**Noema.**

*ex Titulo transpositum.*

DUX. FRIEDERICUS. VIELEMUS. ELECTOR. SACRI. ROMANI.  
IMPERII. PRINCEPS. BRANDEBURGENSIS. CLEMENTISSIMUS.

**Anagramma.**

Ceu Leo intrepidus nil expavescis Tigridis mi-  
nas: Ferro cedis nulli: Imbres, Arcum, Ensem, cre-  
brè rumpis.

**Epigramma.**

Ceu LEO non ARCUM, NIL Martis Jura PAVESCIS,  
Non exhorrescis TIGRIDIS atque MINAS.  
IMBRES, INTREPIDUS CREBRE disRUMPIS & ENSEM,  
Tu FERRO NULLI CEDIS; honore minus.

*Symbol.*

AB ORIGINE ROBUR.  
Guten Erempehn ist gut zu folgen.



Programma.

A Proavis Tibi Magnus adhuc in Pectore sensus,  
Est aliquid forti ducere stirpe Genus.

Ex Te, Macete animo, ter maxime & optime Princeps,  
Plures jam prostant, ad fera Bella Duces.

Gramma.

AD LECTOREM.

Minor ego sum, Optime Lector, quam ut Brennonis Principis in terris  
Hoc seculo ob res in Bello gestas, maximi, Honores à Superis datos, aut  
Decus à propria Virtute comparatum, dignis laudum meritis & ornamenti  
queam illustrare. Scias autem, pietati solūm hunc deberi conatum, ut con-  
stet, vixisse tunc Halis Saxonum, Exulem Hungaricum, locantem in Deo fidu-  
ciam, qui erga tantum ACHILLEM Germaniæ, Halas fausto omne veni-  
entem, lineis aliquot gratulatoriis, sub HERCULIS CLAVA, quantulumcunq;  
obsequium, humillimè testatus est, cuius nomen est

Johannes Sinapius, Ecclesiæ Lutheranæ  
Trenchinii in Hungaria, quondam Pastor.

Dab. Halis Sax. 2. Jun.  
a. 1681,

The image shows a portion of an antique book cover. The main text on the left side reads "HERCULES CHIAVATI S., PRINCIPI DICCO, NI BRAN RGENSI, SIMO, humilli, In peren, HA, Typis Johannis". A vertical color calibration strip is pasted onto the cover. The strip has a ruler scale at the top labeled from 8 down to 1. It features a grid of colored patches. The columns are labeled "Blue", "Cyan", "Green", "Yellow", "Magenta", "White", and "Black". The rows are labeled "Blue", "Cyan", "Green", "Yellow", "Magenta", "White", and "Black". A small vertical text on the left side of the strip reads "KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000". The word "Kodak" is printed vertically along the top edge of the strip.

